

## Annus Christi 830.

Gregorij IV. Pont. 3.

Ludovici Pij Imp. 17.

Baduradi Ep. Pad. 16.

Funestus, qui consequitur, annus octingentesimus trigessimus, quo conjuratio in pijsimum Imperatorem detecta arsit in civilia dissidia & arma; quæ ut multis Theganus, Auctor vitæ Ludovici, & Nithardus Caroli M. ex filia nepos quatuor libris descripsere: ita causæ à varijs scriptoribus afferuntur variæ. Imperator ob bella ante biennium in Ungaria & Hispania Ducum socordia improspere gesta, plerosque eorum in ordinem redegerat. Adhæc Bernardum Septimanæ ducem, gente Hispanum, adsciverat in aulam, & Supremum cubiculo ministrum præfecerat, per quem summa administrabantur. His primùm offensi proceres quidam Regni, plures in societatem trahunt summos infimosque, atque inter hos Pipinum filium, juvenem audacia promptum. Sparsus exinde rumor Juditham Imperatricem adulterinis amoribus misceri Bernardo Duci, quo haud leviter Pipini & aliorum filiorum animus exulceratus in Patrem & novercam, odiumque illud incensum, quòd dicerent Carolum & Rudolphum novercæ artibus præferri & regnis destinari. Castigabat præterea Imperator Episcoporum & optimatum luxum multis à se legibus latis, quo stimulo maximè præfulum animi incitati credebantur; tractique in conspiracyonem Jesse Ambianorum Episcopus, Hildvinus Archicapellanus aulæ, & Walo Corbeix Abbas Hilduini causâ. Horum auctoritate aliorumque potentia fretus Pipinus exercitum contraxit; sævitumque primò in aulæ Imperatoriæ proceres. Heribertus Bernardi Ducis filius oculis orbatus: Rudolphus & Conradus Judithæ fratres in monachos attonsi: Juditha, quam Imperator Lauduni in monasterio S. Medardi collocarat, per custodes appositos ad Imperatorem rapitur, mortemque intentant, ni Imperatori persuadeat, ut abrogato imperio monachum induat, atque ipsa deinde sumpto velo idem vitæ genus amplectatur. Promittit hæc Imperatrix; post quæ Compendium ducitur, ubi Imperator morabatur. Hic verò auditis de amplectenda vita monastica conspirantium consilij spatium deliberandi poscit. At Imperatrix inde reddita conjuratis retruditur in cœnobium S. Radegundis, & vi ad sumendum velum adigitur. Inter hæc Lotharius filius Collega Imperij ex Italia ad patrem accessit; & ea quidem, quæ facta erant, probavit: nihil tamen in patrem severius agi est passus, sed ad publicum conventum omnia deduci consensit; quem Imperator, cum Germanis magis fideret, quàm Francis, Neomagi indixit, quo omnis propè Germania Saxoniaque in Autumno confluit in auxili-

Seditio in  
Ludovi-  
cum Imp.  
à filijs mo-  
ta.

um